

CONGREGATIO DE CAUSIS SANCTORUM

DECRETUM

LUCEN.

CANONIZATIONIS

SERVAE DEI

Anitae Cantieri

VIRGINIS

E TERTIO ORDINE SAECULARI B. M. V. DE MONTE CARMELO

(1910-1942)

SUPER DUBIO

An constet de virtutibus theologalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum, necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitudine eisque adnexis, in gradu heroico, in casu et ad effectum de quo agitur.

« Adimpleo ea, quae desunt passionum Christi, in carne mea pro corpore eius, quod est Ecclesia » (Col 1, 24).

In iis, qui a Deo vocati sunt ad communicandam coniunctius Christi passionem et ad arduum munus eius regni incremento operam navandi per dolorum suorum oblationem, est sane annumeranda Serva Dei Anita Cantieri, quae cum laetitia atque perseverantia non paucos nec leves suos obtulit dolores pro Dei gloria, pro peccatorum

conversione, pro sacerdotum sanctificatione ac in suo cubiculo, in quod morbo relegata erat, multum et fructuosum explicavit apostolatam pro sua communitate paroeciali et personis, quae eam salutatum ibant ut consilia peterent ac solacia.

Orta ea est in suburbano Lucensi die 30 mensis Martii anno 1910 a coniugibus Davino Cantieri et Annuntiata Fanucchi, in exigua quidem bonorum condicione viventibus, sed alta imbutis religione. Die 3 mensis Aprilis baptismum accepit, Maria, Bruna et Anita vocata, hocque nomine est plerumque appellata. Die 7 mensis Maii anno 1915, vix annorum quinque alita est primum eucharistico Pane et mense Octobri eodem anno sacramentum accepit Confirmationis.

Ludi litterarii frequentatione perfecta, ab anno 1922 ad annum 1929 scholam laboris frequentavit, quam Lucae regebant Sorores a Sancta Dorothea, magistras et condiscipulas aedificans suis virtutibus, quae iam tum singulares apparebant. In ea enim, duodecim annos nata, magna facta est mutatio quam ipsa definire solebat « conversionis gratiam », et inde initium habuit celer eius spiritualis ascensus, ardenti Crucis et Eucharistiae signatus amore. Vocatione ad vitam consecratam animadversa, Institutum Sororum a Sancta Dorothea ingredi voluisset, sed hoc votum ad effectum adduci non potuit, non tamen ob causas in Servae Dei voluntate positas.

Viginti aetatis annis expletis, moderatoris spiritus consilium sequens, in probandum intravit (anno 1930) Tertiariarum Carmeliticum conventus Florentini « Corpus Domini » denominati, citoque impensa eminuit vita interiore et ardenti cupiditate Christum sequendi per omnia. Alacriter Regulas observabat, superioribus obsequebatur, facilis et affabilis in sodales, occultationis studiosa, in pietate fervida, in omni actu prudens. Laeta erat via, in quam se dederat et libenter sane perseveravisset, sed fere post quattuordecim menses ad redeundum domum adacta est, quoniam eius valetudo labascebat. Magna profecto cum aegritudine communitatem suam reliquit, pro certo tamen habens posse se extra conventum sanctam fieri. Aliquamdiu speravit fore ut Carmeliticum vitam redintegrare posset; verum valetudo alternis vicibus mutans eam impedivit. Consilium demum introeundi in monasterium deponere debuit propter manifestam phthisim pulmoneam et interaneam, deinde tenuis intestini et coli necnon peritonaei inflammatione oborta difficiliorem factam et, ultimis temporibus, etiam interaneo tumore.

Lecto tenta octo annos fere sine intermissione, viva cum fide,

magna cum tranquillitate et interiore vi suam baiulavit crucem et potius quam se sibi dederet, plus plusque Dei amori et proximi patefacta est. Volens humus esse fertilis gratiae Dei, morbum suum in sanctificationis viam mutavit et apostolatus. Scripsit: « Si verum est vitam meam finem non habere materialem, verum est etiam alium multo praestabiliorem habere, quandoquidem est ab ipso Deo paratus, finem scilicet patiendi et quidem pro eius gloria patiendi, pro animarum salute et animae meae sanctificatione, sicut ab initio statui ».

Calendis mensis Iulii anno 1935 excepta est in Tertium Ordinem saecularem Carmelitarum et in vestitione nomen sumpsit Teresiam a Iesu Infante, in honorem Sanctae Teresiae Lexoviensis: « Ut — scripsit — mihi exemplo sit eius erga Deum obsequium et fiducia, quem totis expeto viribus, utque in nova hac Carmelitarum vita mea sit patrona: quae vita ut omnino talis sit, vere nihil mihi deest, nec clausura, nec cella, nec incommoda ».

Valetudinis infirmitate neglecta, post paucos menses, durum est iter ingressa ut sacram faceret peregrinationem Lapurdum. In valetudinario Cottolengo consistens, non suam ultra exoptavit sanationem, sed aliorum miserorum. Lapurdo reversa plus amore Dei capta est: « Domine, omnia accipe, quae possideo; solum da mihi amorem; amplius fac cor meum, ut recipere possim abundantiam, quam spero te, pro tua bonitate, esse mihi servaturum; o Iesu, solus potest me amor tuus consolari; nullum alium cupio, nisi te, et tum solummodo, cum cor meum in flammam erit ardentem mutatum, felix ero, cogitans te contentum esse posse et animas omnes inde utilitatem percepturas ».

Domini amori proximi inseruit amorem. Nisa est in familia pacem parere et benignitatem, et in paroecia non paucorum inceptorum faultrix fuit et auctrix. Anno 1936 in sodalicium « Regnum Christi » nominatum est nomen professa; anno 1937 particeps facta est Actionis Catholicae, cuius quasi anima fuit cuique multum profuit consilio, labore ordinativo, sociorum admotione, suarum acerbitatum et deprecationum oblatione. Vocationibus sacerdotalibus studuit excitandis, Evangelio propagando in missionum terris. Nihil exoptavit aliud, nisi Dei gloriam et salutem animarum. Haecque cum simplicitate fecit, humilitate, prudentia et mira cum magnanimitate ad mortem usque.

Omnino Dei voluntati obsequens et a se aliena atque a mundi re-

bus, in vitam introivit aeternam, quam appetebat, die 24 mensis Augusti anno 1942, a familiaribus et ab iis, qui eam cognoverant, dilecta et venerata. Quamvis bellum fureret, magno cum fidelium concursu funus factum est, qui verae Christi discipulae officium et cultum tribuere voluerunt, quae in humilitate inque infirmitate lucerna fuerat ardens fidei, spei et caritatis.

Sanctitatis fama, qua in vita et in morte fruita est, subsequen-
tibus annis confirmata est et aucta; quam ob rem Archiepiscopus Lu-
censis Causam inchoavit canonizationis per processus ordinarii infor-
mativi celebrationem (annis 1954-1957). Die 15 mensis Iunii anno 1960
proditum est decretum super scriptis et die 11 mensis Iunii anno 1977
decretum super Causae introductione. Apud eandem Curiam Lucen-
sem est processus apostolicus celebratus (annis 1979-1982), cuius auc-
toritas et vis decreto agnita est die 15 mensis Iunii anno 1984 edito.
Sunt deinde Servae Dei virtutes inspectae. Die 26 mensis Martii
anno 1991, felici cum exitu Congressus Peculiaris Consultorum Theo-
logorum est actus, Rev.mo Fidei Promotore Antonio Petti praesidente.
Dein Patres Cardinales et Episcopi, in Congregatione Ordinaria die 15
mensis Octobris eodem anno habita, Causae Ponente Exc.mo Domino
Hieronymo Grillo, Episcopo Centumcellarum-Tarquiniensi, Servam Dei
Anitam Cantieri heroum in modum virtutes theologales, cardinales et
adnexas exercuisse professi sunt.

Facta demum de hisce omnibus rebus Summo Pontifici Ioanni
Paulo II per subscriptum Cardinalem Praefectum accurata relatione,
Sanctitas Sua vota Congregationis de Causis Sanctorum excipiens ra-
taque habens, mandavit ut super heroicis Servae Dei virtutibus decre-
tum conscriberetur.

Quod cum rite esset factum, accitis ad Se hodierno die Cardinali
infrascripto Praefecto necnon Causae Ponente meque Antistite a Se-
cretis Congregationis ceterisque de more convocandis, eisque astanti-
bus, Beatissimus Pater sollemniter declaravit: *Constare de virtutibus
theologicalibus Fide, Spe et Caritate tum in Deum tum in proximum,
necnon de cardinalibus Prudentia, Iustitia, Temperantia et Fortitu-
dine, eisque adnexis, in gradu heroico, Servae Dei Anitae Cantieri,
virginis, e Tertio Ordine Saeculari B. M. V. de Monte Carmelo, in
casu et ad effectum de quo agitur.*

Hoc autem decretum publici iuris et in acta Congregationis de
Causis Sanctorum referri mandavit.

Datum Romae, die 21 mensis Decembris A. D. 1991.

Augustus Card. Felici
Praefectus

+ Eduardus Nowak
Archiepiscopus Tit. Lucensis
a Secretis